

Version latine n°2 : Vénus contre les Lemniennes

Lorsque les hommes de Lemnos reviennent d'expédition avec des prisonnières thraces, Vénus irritée contre eux en profite pour orchestrer sa vengeance, et rend d'abord visite à Fama, la Rumeur...

Talem diua sibi scelerisque dolique ministram
quaerit auens. Videt illa prior iamque aduolat ultro
impatiens iamque ora parat, iam suscitatur aures.
Hanc superincendit Venus atque his uocibus implet :
« Vade age et aequoream, uirgo, delabere Lemnon
et cunctas mihi uerte domos, praecurrere qualis
bella soles, cum mille tubas armataque campis
agmina et innumerum flatus cum fingis equorum.
Adfore iam luxu turpique cupidine captos
fare uiros carasque toris inducere Thressas.
Haec tibi principia, hinc rabidas dolor undique matres
instimulet ; mox ipsa adero ducamque paratas. »
Illa abit et mediam gaudens defertur in urbem
et primam Eurynomen ad proxima limina Codri
occupat exesam curis castumque cubile
seruantem : manet illa uirum famulasque fatigat
litoribus, tardi reputant quae tempora belli
ante torum et longo mulcent insomnia penso.
Huic dea cum lacrimis et nota ueste Neerae
icta genas « Vtinam non hic tibi nuntius essem,
o soror, aut nostros » inquit « prius unda dolores
obruat, in tali quoniam tibi tempore coniunx
sic merita, uotis quem tu fletuque requiris,
heu fuit et captae indigno famulatur amore.
Iamque aderunt, thalamisque tuis Threissa propinquat,
non forma, non arte colus, non laude pudoris
par tibi nec magni proles praeclara Dorycli,
picta manus ustoque placet sed barbara mento.
Ac tamen hos aliis forsitan solabere casus
tu thalamis fatoque leges meliore penates ;
me tua matris egens damnataque paelice proles
exanimat, quam iam miseros transuersa tuentem
letalesque dapes infectaque pocula cerno.
Scis simile ut flammis simus genus ; adde cruentis
quod patrium saeuire Dahis. Iam lacte ferino,
iam ueniet durata gelu. Sed me quoque pulsam
fama uiro, nostrosque toros uirgata tenebit
et plaustro derepta nurus. »